

231.

18 e. 14

VITA METRICA

# SANCTI FRIDERICI

EPISCOPI LEODIENSIS

ex codd. Londiniensi (Addit. mss. 24914).

NUNC PRIMUM EDITA

OPERA ET STUDIO

**GODEFRIDI KURTH**

IN ACADEMIA LEODIENSI HISTORIÆ PROFESSORIS

(Excerptum ex Analectis Bollandianis, T. II.)

p. 259-269.

BRUXELLIS

TYPIS POLLEUNIS, CEUTERICK ET LEFÉBURE

1883

VITA METRICA S. FRIDERICI

EPISCOPI LEODIENSIS



VITA METRICA

# SANCTI FRIDERICI

EPISCOPI LEODIENSIS

ex codd. Londiniensi (Addit. mss. 24914).

NUNC PRIMUM EDITA

OPERA ET STUDIO

**GODEFRIDI KURTH**

IN ACADEMIA LEODIENSI HISTORIÆ PROFESSORIS

(Excerptum ex Analectis Bollandianis, T. II.)



BRUXELLIS

TYPIS POLLEUNIS, CEUTERICK ET LEFÉBURE

1883

VITA METRICA  
S. FRIDERICI

EPISCOPI LEODIENSIS

*ex cod. Londiniensi (Addit. mss. 24914).*

NUNC PRIMUM EDITA OPERA ET STUDIO

GODEFRIDI KURTH

IN ACADEMIA LEODIENSI HISTORIÆ PROFESSORIS.

Quum Londinii in evolvendis codicibus manuscriptis Musei Britannici versarer qui ad res belgicas spectant, quorum pars maxima olim in monasteriis nostratibus exarata est, incidi in egregium codicem membranaceum seculi XII, foliorum 135, accuratissime conscriptum, litteras initiales habentem majores et ornatas, titulosque rubricatos, qui, ut ex nota manuscripta folii ultimi patet, erat *liber sancti Trudonis in Hasbania*. Continebat autem inter plures diversorum libellos quos accuratius inspicere tunc mihi per tempus non licuit, carmen cui titulus manu seculi XVI inscriptus erat hisce verbis : *Epitaphium et vita S. Friderici trajectensis ep̄i et martyris*.

En habes, amice lector, ineditam, quantum mihi compertum est, vitam S. Friderici, episcopi Leodiensis — etenim apertissimo errore Trajectensi Ecclesiæ idem pontifex in titulo operis vindicatur. Quam si publici juris facerem, non omnino viris doctis ingratum me fore arbitratus sum.

Sed priusquam in lucem prodeat, non abs re erit paucis de origine auctoreque ejus disserere.

Otberto episcopo anno 1119 defuncto, acris inter Leodienses de successore ejus dissensio orta est, quum pars major Fridericum, majoris ecclesiæ præpositum, ceteri vero Alexandrum archidiaconum infulis pontificalibus ornare studerent. Exardescit bellum : Alexander, quanquam potentum fretus auxilio, pellitur; Fridericus, plebis amor, triumphat, sed paulo post occumbit, non sine vehementi veneni suspicione. Quem ut sanctum martyrem sui venerati sunt et posteris commendavere. Vix aliquot a morte ejus annis elapsis, emersit (paulo post an. 1139) Vita ejus prosa oratione conscripta, quam seculo XIII Ægidius Aureæ vallensis fere totam Chronico suo inseruit, quum tamen ex pietate erga sedem episcopalem et

memoriam Alexandri omnino suppressisset quidquid in ea de veneno perhibebatur. Sicque factum est ut, Chronico Ægidii plurimum apud coævos ejus valente, Vita ipsa paulatim e manibus exciderit; quam demum, etiam Henschenio ignotam Molanus primus invenit et postea Chapeavillus noster in manibus habuit. Editam tandem a Martenio et Durando in tomo IV *Amplissimæ Collectionis*, nostris temporibus v. d. Wattenbachius in t. XII *Monumentorum Germaniæ historicorum* denuo cudi curavit. Neque ego in his rebus commemorandis tamdiu commoratus essem, nisi de auctore ejus haberem aliquid quod dicam. Falso enim ab Ægidio adscriptam fuisse hanc Vitam Renero, monacho S. Laurentii in suburbio Leodiensi, inter omnes constat; quis autem reipsa auctor fuerit, ipsum Wattenbachium fugit. Attamen prædictus Renerus in libello de scriptoribus monasterii sui disertis verbis testatur scriptam fuisse a Nizone, monacho et quondam magistro suo, cujus se ferulæ non semel manum subduxisse confitetur; de quo sic prosequitur: *Claras edidit melodias de sanctis Johanne et Paulo martyribus, de sanctis Nazario et Celso, de domno FREDERICO LEODIENSI EPISCOPO, ex cujus etiam gestis, obitu vel miraculis libellum scripsit* (Lib. I, 17, ap. Pez, *Thes.* t. IV, p. III, p. 32).

Tempus autem quo fere opus suum susceperit Nizo, satis exacte definiri potest, quum Nizonem non nisi post Godefridi Namurcensis mortem, quæ anno 1139 evenit, calamum tentasse ex ipsius libello pateat; præterea in ea ætate scripserit quæ plures adhuc supererant qui de Friderico male meriti erant, ut ipse declarat: *Plus de vita hujus sancti explanare supersedemus, propter scyllæ canes quorum nonnulli qui illum oderant, adhuc vivunt.*

Jam ad Vitam metricam, quam infra edimus, accedamus. Mirum in modum consentit cum illa altera in rebus enarrandis, quum utraque eadem erga Fridericum devotione, eodem in inimicos ejus ardeat odio, nec non eandem de veneno profiteatur opinionem. Discrepant tamen quod ad materiam concinnandam spectat: nam in Vita soluta oratione conscripta inveniuntur plura quæ in Vita metrica desunt, et speciatim miraculorum narrationes; ita ut versis vicibus Nizonis libellus pedestri sermone incedens commodius arti poeticæ vindicandus videatur quam poetæ ignoti carmen rude et strictum, quod præter metrum omni lepore destitutum apparet.

Quæ autem, si de fonte quæretur, inter utrumque scriptorem ratio intercedat, et utrum alter altero usus sit necne, haud facile, mea quidem sententia, discerni possit. V. d. Edmundus Bishop, cujus amicitia gaudeo, cuique ob curam in chartis meis iterum cum codice conferendis summas grates debeo, omnes contulit poetæ nostri locos, qui sive cum Nizone sive cum ceteris ejusdem ævi monumentis usque ad verbum concordant: quos in margine inferiore mox exhibebimus. Quid autem hæ efficiant similitudines, et num ex eis eluceat Nizonem a nostro aut nostrum a Nizone exscriptum esse, vehementer dubito: trahit animus ut magis opiner eas fluxisse ex ipsa re narranda, quæ se una eademque scriptoribus objiciebat. Quidquid id est, non multum a vero erraveris, si opusculum nostrum eidem cui Nizonis libellum ætati tribuas et circa medium seculum XII ortum esse censeas. Nullo autem modo recentiori adscribi potest ævo: codex enim Trudonensis, cujus

pars est, illius seculi notas omnes præ se fert; auctorem vero amicum Friderici et coævum fuisse, a primo ad ultimum versiculum ipsum carmen, si attente perleagas, testatur. Quin etiam ipsum odium quo in Alexandrum supposito Symonis nomine et in fratres ejus scriptor invehitur, animum recenti iræ obtemperantem non obscure prodit.

Præterea et hoc de carmine nostro animadvertendum puto, quod initium ejus, versus quatuordecim continens, nihil aliud est quam sancti pontificis epitaphium, quod, ut ait Ægidius, *circa ejus sepulchrum ante concremationem ecclesiæ litteris deauratis exaratum erat.* Illud idem Ægidius in Chronico suo transcripsit; et, si unum versiculum excipias, plane concordat cum initio carminis. Hoc tamen epitaphium diversum primitus fuisse a carmine ipso, et non nisi postea a poeta anonymo operi suo tanquam caput impositum fuisse, manifestatur hisce versiculis, qui statim post epitaphium sequuntur:

Latius hic tanti refero certamina sancti  
Quæ sacræ mortis vicit constantia fortis  
Martirique bonam sibi quæ peperere coronam.

Post quos prosequitur sic canens:

Editus insigni Fridericus nobilitate...

Equidem confido nullum esse legendi peritum, quin hic deprehendat anonymum ex duobus operibus unum sibi conflantem et *callida illa junctura* carentem, quæ ad consutarum partium vestigia oblitteranda necessaria fuisset.

Quæ quum ita sint, de epitaphio prius disquirendum mihi videtur. Revera sepulcro S. Friderici insculptum fuisse nos docuit Ægidius; pluries transcriptum esse ostendunt varii codices unde illud eruerunt viri docti: inter quos v. d. Dümmlerus codicem B. Mariæ de Bona Spe in pago Hannoniensi, seculo XIII conscriptum, adhibuit. Cujus auctor quisnam fuerit, docere nos posse putat Henschenius, qui et ipse epitaphium illud in commentario prævio ad Vitam S. Friderici edidit, et per litteras ab Al. Wilthemio et Bollandio vicissim missas comperit a viris doctis auctorem hujus haberi Giselbertum, abbatem Lacensem, qui vitam clausit a. 1152. *Vellem scire*, addit Henschenius, *quo argumento probari possit epitaphium Friderico scripsisse Gilbertus: alioqui non male conveniunt locus et tempus.* Sed et ad istam opinionem fulciendam accedit quod ante aliquot annos v. d. Wattenbachius in lucem protulit epitaphia metrica sex, quæ in folio membranaceo, seculo XII exarato, in Museo Germanico Norimbergæ asservantur, et fere omnia viros memorant qui sub initium seculi XII vita decesserunt: sunt enim memoriarum dedicata Anselmi Laudunensis, qui obiit 15 julii 1117, Caroli comitis Flandriæ, qui 2 martii 1127, Henrici imperatoris, qui 7 augusti 1106, Gisleberti, abbatis Lacensis, qui 6 aug. 1152, Henrici, comitis Palatini II, qui 12 aprilis 1095 defunctus est. Cum quibus si conferas Friderici epitaphium, adeo mira tibi se prodet similitudo, ut eandem plane scribendi rationem et, ut ita dicam, unius scriptoris stylum perfacile agnoscas. Etenim non solum hinc inde versus leonini

qui dicuntur apparent, sed et utrumque nimium indulgetur difficilibus nugis, quales a metro latino etiam atque etiam refutantur; cujus generis sunt spondaici finales per binos sibi versiculos respondentes, nec non in singulis versiculis pedum secundi et quarti consonantia, etc. Sed quid ea de re censendum sit, tu ipse, lector, videris, collato epitaphio Friderici cum parte illius quod in Lacensi membrana Anselmum celebrat.

## Epitaphium Friderici

Ex Dümmlero

*(Neues Archiv, II, p. 603).*

Clauditur hac tumba simplex sine felle columba,  
 Quæ nobis vivam referebat pacis olivam.  
 Cor sublime gerens, scripturis totus inherens  
 In se spernebat quod nobilitate vigebat.  
 Plebis catholice te pontificem, Frederice,  
 Elegit Christus, sacravit papa Kalixtus.  
 Sed despecta malis electio pontificalis  
 Plus fuit errori, quam nominis hujus honori.  
 Inde furens simonia ruens in jus alienum,  
 Bella tuis dedit, arma suis, tibi sancte venenum.  
 Hec tuleras, nec victus eras in agone bienni.  
 Sed frueris modo cum superis mercede perhenni.  
 Ergo simul Christi præsul martyrque fuisti,  
 Cui te commendas sexto Iunii ante Kalendas.

## Pars Epitaphii Anselmi

*(Anzeiger für Kunde der deutschen Vorzeit, 1869, p. 39).*

Heu moriens,	nos effugiens,	cur sic fugis a te,
Fons saliens,	modo deficiens	Anselme beate?
Mors miseros	fugit innumeros	clamata nec audit:
Innumeros	faciens miseros	tua lumina claudit.
Nocte tua	jam luce sua	defungitur orbis,
Luce tua	quia nocte sua	resplendit orbis
Tu patrie	decus, ecclesie	diadema fuisti,
Egregie	quia justicie	normam tenuisti.
Te probitas	operis, bonitas	animi decoravit,
Sobrietas	mentis, pietas	super astra levavit.
Francia Flandria	Scotia Datia	te celebravit,
Fresia Suevia	Belgica Gallia	nobilitavit.
Non ducibus,	non principibus	fuit ista potestas,
Consulibus	seu presulibus	non talis honestas,
Quam tribuit	qualem voluit	tibi gratia Cristi
Apposuit	tibi, complacuit	celumque petisti.

Itaque plura exstare videntur argumenta cur eidem monacho Lacensi qui in decorandis virorum illustrium sepulcris tantum desudavit, etiam Friderici elogium tribuere audeamus: et quidem ipsi Giselberto abbati, quem Bollandus et Wilthemius, validis proculdubio quanquam mihi ignotis rationibus freti, auctorem perhibuerunt. Equidem viris clarissimis tanquam ita præopinantibus facile assentior cuncta illa carmina Giselberti calamo deberi, si tantum illud excipias, quod in ejus honorem a quodam discipulorum postea concinnari et in schedula Lacensi ceteris addi potuit.

Ad carmen autem quod attinet, leves quidem sed non adeo absurdas afferre possum conjecturas. Quum in uno tantum exstet codice, et illo quidem cœvo, qui apud Trudonopolim exaratus est, jam aliqua ea propter oriebatur apud me suspicio, auctorem fuisse monachum celebris illius cœnobii Hasbaniensis, ubi sub abbatibus Theodorico et Rodulpho (1099-1138) litteras floruisse constat. Huic favet conjecturæ carmen aliud quod in eodem codice, nunc Londiniensi, statim post vitam S. Friderici descriptam Theodorici abbatis res gestas et laudes exorditur, et eisdem quos supra notavi metricis rationibus utitur, ita ut eidem auctori adscribendum etiam videatur. Jam vero panegyricus Theodorici nobis originem suam tacite quidem sed satis evidenter declarat, quum S. Trudonem *patrem* appellet, Theodoricum *hic* (sc. Trudonopoli) altum et doctrina imbutum asserat, et seipsum plus semel unum ex monachis ei subditis esse profiteatur, e. g. his versiculis:

Nobis est tandem nostroque loco revocatus...  
 Tempore nos modico rexit, quod non meruerunt  
 Hunc mala nostra quidem dum nobis subriperunt...  
 Sic nostri capitis est rapta corona decoris...

Quin etiam cœvum se fuisse viri venerabilis testatur, sic de eo narrando:

Vidi quod crebro lapides ac ligna ferebat.

Attamen superstes etiam successori ejus Rodulpho fuit, de quo tanquam jam vita defuncto talia subnectit:

Isti successit Rodulphus, qui probitatis  
 Ejusdem magnæque fuit vir strenuitatis,  
 Et non inferior illo...

Præterea ex Chronico S. Trud. ad ann. 1107 novimus, eo tempore, quo Theodoricus regulam Cluniacensem cœnobio suo imponere constituit, quinque tantum pueros in schola monastica, decem vero monachos cum patre suo mansisse: unde ex numero quindecim illorum auctor carminis nostri fuisse evincitur. Quantum autem tunc temporis alumni scholæ monasticæ sub magistro Rodulpho in litteris profecerint, hisce verbis testatur Continuator Chronici S. Trudonis: *Scriptis igitur (Rodulphus) eodem primo anno volumen illud utilissimum, multum continens scripturæ, et pueros vix musam declinare sciolos non tam dictamen quam metrum quoque componere docuit. Et complura ejusdem generis addit.*

Ut paucis igitur verbis disceptatiunculam meam concludam, Vita S. Friderici metrica, quæ hodie post diuturnam oblivionem luci redditur, scripta fuisse videtur circa medium seculum XII, a monacho quodam cœnobii S. Trudonis qui, sub abbate Theodorico monasterium ingressus, Rodulphi forsân discipulus fuit.

**Epitaphium et vita S. Friderici Trajectensis episcopi et martyris. (1)**

Clauditur hac tumba simplex sine felle columba,  
 Quæ nobis (2) vivam referebat pacis olivam  
 Cor sublime gerens, scripturis (3) totus inherens  
 In se spernebat quod nobilitate vigebat.  
 5 Pacis (4) catholicæ te pontificem, Frederice,  
 Elegit Christus, sacravit papa Kalixtus.  
 Sed despecta malis electio pontificalis (5)  
 Plus fuit errori (6) quam nominis hujus honori (7).  
 Inde furens symonia ruens in jus (8) alienum,  
 10 Bella tuis dedit, arma suis, tibi, sancte, venenum.  
 Hæc tuleras nec victus eras in agone bienni,  
 Sed frueris modo cum superis mercede perhenni.  
 Ergo simul Christi presul martyrque fuisti,  
 Cui te commendas quinto Mai ante Kalendas (9).  
 15 Latius hic tanti refero certamina sancti  
 Quæ sacræ mortis vicit constantia fortis

(1) Epitaphium Friderici invenitur apud Ægidium Aureæ Vallis (*Mon. Germ. Hist.*, Scr. tom. XXV, p. 97); præterea editum est ab Henschenio forsân ex apographo Wilthemiano (*AA. SS.*, tom. VI Maii, p. 725), a Dümmlero ex codice sec. XIII, olim B. Mariæ de Bona Spe, qui nunc in bibl. publica Montensi asservatur (*Neues Archiv für ältere deutsche Geschichtskunde*, tom. II, p. 603) et a Bormansio, *Jean d'Outremeuse*, tom. IV, p. 329. Quorum variantes lectiones, jam ab Hellero in Ægidio l. l. collatas, infra invenies. — (2) *vobis* Hensch. — (3) *scripture* Æg. — (4) *Plebis* ceteri. — (5) Deest integer versus apud Æg. — (6) *horroris* Æg., Hensch. — (7) *honoris* Æg., Hensch. — Versus 8<sup>us</sup> apud Hensch. et Æg. positus post 5<sup>um</sup>, quod aperte mendosum est. — (8) *as* Hensch. — (9) Versus 13 et 14 leguntur etiam apud Henschenium et apud Dümmlerum, nisi quod hic pro *quinto Mai* habet *sexto Junii*; sed pro eis apud Ægid. in editione Pertziana inveniuntur sequentes :

*Julius aut Julias Nonas sub luce Calendas  
 Gloria virtutum doceat te glorificatum.  
 Percipe te dignam, presul martyrque, coronam.*

Quorum ultimi duo et apud Hensch. leguntur. Henschenius loquens de versu Ægidii quem refutat, ita eum refert : Julius aut Julias nona sub luce Kalendas.

Martiriique bonam sibi quæ peperere coronam.  
 Editus insigni Fridericus nobilitate  
 A puero vigit prudenti simplicitate,  
 20 Simplex et meritis humilis dulcisque loquenti  
 Et promptus miseris affectu compatienti (1).  
 Non animo duplex, animo vultuque serenus  
 Et fuerat prorsus omni dulcedine plenus.  
 Pluribus ille bonis subnixus, nobiliorem (2)  
 25 Vitam ducebat, morum sectando decorem.  
 Spernebat pompam nativæ nobilitatis  
 Et quicquid sequitur ea nobilitas levitatis.  
 Non canibus nec equis curam prebebat alendis;  
 Ast intendebat libris sibi conficiendis.  
 30 Hi sua militia : comites hos semper habebat.  
 His animæ lucro sua mens devota studebat :  
 Quod tamen a stultis pro stultitia reputari (3)  
 Et super hoc tamquam stultus satis hic reprobari :  
 Stulti non poterant hoc lumen cernere veri (4),  
 35 Nec poterat virtus ab eis sincera videri,  
 Cum preter tenebras nil norunt stultitiarum,  
 Virtutemque putant quod sit modo delitiarum.  
 Formæ vero fuit celebris tantique decoris  
 Ut laudes formæ precelleret eximioris.  
 40 Res erat in motu; Symonis commenta maligna  
 Æcclesiam nimium vexabant arte maligna;  
 Nam Symonem defensabant nova monstra deorum  
 Virtus plura potest in nostro tempore quorum.  
 Albinus sane fuerat cum fratre Rufino.  
 45 Largus uterque satis et munere fretus equino.  
 Hi Symonis partes properant virtute tueri  
 Qua poterant. Verum cupientes falsa videri  
 Cedere restabant pauci, tantus metus illos (5)  
 Obruit et tantum corrumpit muneris illos (6).

(1) Cum vv. 20, 21 cfr. Canon. Leod. *Chron. rhythm.*, ap. Pertz, *Mon. Scr.* tom. XII, p. 419, linn. 366-368 (Bishop). — (2) Cfr. *ibid.*, ll. 363-366 (B.). — (3) Cfr. *ibid.*, p. 420, l. 387 : *nobilibus hæc ignobilitas* (B.). — (4) Cfr. *ibid.*, l. 388 : *Divitibus hæc inest cecitas* (B.). — (5) Cfr. *Vit. S. Frider.*, ap. Pertz, tom. XII, p. 503, ll. 13-14. — (6) *Ibid.*, l. 14.

56 At vir premissus neutro potuit cohiberi,  
 Acceleratque magis verum ratione tueri.  
 Conspirant illi pridem terrore paventes  
 Et Symoni prius obniti male diffugientes.  
 Tum constanter agens, causamque regens deitatis,  
 65 Æcclesiæ cathedram per opus meruit pietatis.  
 Quis referat quam catholice quantoque virorum  
 Electus fuerit fletu bene <sup>1</sup> catholicorum?  
 Ferventes aderant terroris turbine primo  
 Defecti, fletusque dabant a pectoris imo  
 60 Gaudia quos mentis effundebant melioris  
 Atque <sup>2</sup> satis super hoc constanter habere vigoris.  
 Electus vero sollempniter atque sacratus  
 Plures meroris fert mente pia crutiatus,  
 Totque pati genera sub pectore subpliciorum  
 65 Æcclesiæ quot <sup>3</sup> contigerant adversa laborum;  
 Martiriique <sup>4</sup> satis jam tunc spirabat agonem,  
 Decertans Symonis cohibere superstitionem,  
 In cujus partes plures jurasse videbat,  
 Quos contra justos graviter sevirare dolebat.  
 70 Advertens autem gravius mala multiplicari (1)  
 Et Symonem tantum de bellis sollicitari,  
 Bellis utentem bello Symonem superavit  
 Et cum complicitibus quamtocius urbe fugavit.  
 Acrius instabat Symon et fera bella movebat.  
 75 Atque pios rerum dampnis magis afficiebat.  
 Nec tamen hos frangit, sed victus ubique recedit (2).  
 Quidquid temptasset, illi nunquam bene cedit.  
 Vir Domini plebem sibi commissam sapienter  
 Ammonet ut tulerint hæc interea patienter  
 80 Et non deficerent, quia, quo graviora dolerent,  
 Auxilium Domini citius clementer haberent.

<sup>1</sup> pro fletu bene legitur in margine inferiore singultu. — <sup>2</sup> cod. itaque. — <sup>3</sup> cod. quod. — <sup>4</sup> cod. martiruque.

(1) *Vit. S. Frider.*, p. 504, ll. 40, 41: *videntes quia multiplicata sunt mala* (B.). — (2) *Ibid.*, p. 505, l. 11 (B.).

Tum quoque, collidens Symonis monimenta, tabellas  
 Militibus tribuit quibus has inhibere procellas  
 Posset. Sic per opes Symonis Symonem reprimebat,  
 85 Sic bellis bella reddens hostes abigebat.  
 Frater uterque suas vires sibi conciliabat,  
 Æcclesiæ pio partes cum fratre juvabat <sup>1</sup>.  
 Porro Symon, laxis iræ dum fervet habenis,  
 Cetera frustratus innititur arte venenis  
 90 Corrumpitque virum minus hac sibi parte caventem (1)  
 Innocueque satis et simpliciter gradientem.  
 Diffundi per membra dolor sensimque dolebat (2),  
 Egrius et membris se sensim virus agebat  
 Martiriumque viri sub momentis celebrari.  
 95 Quo super ille satis sibi conscius exhilarari,  
 Certus justitiæ se causam prorsus habere,  
 Certus justitiam meritum palmamque manere.  
 Viscera corrumpens pestis diffusa resolvit  
 Ordine composito, sed et in contraria volvit.  
 400 Tempore non modico sic egrotando laborans,  
 Grates reddebat super hoc enixius orans.  
 Jamque medullarum pervaserat ultima virus,  
 Et totum corpus dolor afficit undique dirus.  
 Lecto decumbens in mortem deficiebat (3)  
 405 Eternamque magis in vitam proficiebat.  
 Tum per membrorum purgatur singula: cedit  
 Offitio visus, oculis lux ipsa recedit (4);  
 Obrigitque manus et cetera membra vigore  
 Privantur, nimio morbi confecta dolore.  
 440 Multaque donorum sub id accipit ille laborum,  
 Xps quippe sibi meritis dabat omnia scribi  
 Immeritusque mori. Tandem vitæ meliori  
 Succedit, mortem linquens, mundi quoque sortem.

<sup>1</sup> cod. juvavat.

(1) *Vit. Frid.*, p. 505, l. 23-24: *Muneribus siquidem nescio quo pincernarum ejus corrupto, venenum poculo ipsius clam miscuerunt* (B.). — (2) *Ibid.*, ll. 25, 26 — (3) *Ibid.*, l. 24 et 43 (B.). — (4) *Ibid.*, p. 505, lin. 26 (B.).



Tunc insultabant qui pridem belligerabant  
 415 Fautores Symonis, quasi causa quidem rationis  
 Illis cessisset, dum vitam primus obisset  
 Qui causam veri se dixerat ante tueri,  
 Tamquam iudicium Domini firmasset eorum  
 Causam, diversas partes reprobans aliorum.  
 420 Hac se jactabant, hac vana laude tuebant.  
 Pars bona deflebat, quam sic mala despiciebat,  
 Cernens extolli reprobos et letificari  
 Et se justitiæ sub causa mestificari.  
 At consolatur, dum verum notificatur :  
 425 Partem quippe suam mox signis testificatur  
 Judex qui falli nescit, qui pondera rerum  
 Prescius expendit presenti luce dierum ;  
 Et quia sublato de presule dira fremebat  
 Pravorum rabies, dum mortis ei referebat  
 430 Hoc evenisse merito, pia vita benignis  
 Presulis astruitur divino munere signis :  
 Multi curantur vario languore gravati.  
 Exultant populi super his satis exhilarati ;  
 Mutatur facies urbis gaudetque recenti  
 435 Leticia pridem turbata metu vehementi (1).  
 Meror torquebat Symonem Symonique faventes  
 Invidiæ flammas super hoc male concipientes  
 Et livore gravi sese satis afficientes,  
 Cotidie fieri virtutem plura videntes,  
 440 Cum jam tam certa non possent inficiari,  
 Cotidie siquidem cernebant hec iterari,  
 Non sancti meritis ascribunt, ast aliorum  
 Sanctorum fuerant in promptu corpora quorum ;  
 Quos quasi dicebant post tempora multa redisse,  
 445 Actenus et peregre loca quam diversa subisse.  
 Urbem nunc tutam, nunc felicem referebant,  
 Ad cujus curam se sancti rursus agebant ;

(1) Ibid., p. 506, ll. 19-20 : *Terris deinceps insplenduit multis miraculorum signis, quibus ad lætitiæ mærentium lamenta civium convertit* (B.).

Nec jam deberet de bellis sollicitari  
 Quam citius solide constaret pacificari.  
 450 Quique piæ mentis, his credere diffugiebant  
 Virtutemque bonis magis applaudendo fovebant ;  
 Certi de vita sancti, quæ plena piorum  
 A puero fuerat operum, certi meritorum,  
 Et quam passus hæc pro causa pietatis  
 455 Pertulit, hec patiens vir miræ simplicitatis ;  
 Famaque discurrens hoc passim notificavit  
 Atque virum laude virtutum magnificavit,  
 Plures accedunt et cotidie relevantur,  
 Et Symon et Symonis fautores excruciantur.

In eodem codice statim ante Vitam S. Friderici legitur epistola Friderici archiepiscopi Coloniensis ad clerum Leodiensem, qua eos hortatur ne Alexandrum reciperent : cujus tenor sic se habet.

Fridericus, Dei gratia sanctæ Coloniensis Ecclesiæ humilis minister, Leodiensis Ecclesiæ archidiaconis, præpositis, decanis, scolasticis, cantoribus, omnibusque catholicis, a proposito sanctæ obedientiæ nullius necessitatis occasione declinare. Ex auctoritate evangelica necesse est ut veniant scandala, ut dum revelatur filius perditionis, manifesti fiant et probati quotquot præordinati sunt in sortem supernæ retributionis. Unde fraternitatem vestram præmonentes pia sollicitudine monemus, obtestamur, præcipimus ex debito sanctæ obedientiæ ne recipiatis (1) regiæ intrusionis violentia sub nomine designati episcopi ad vos venientem, quia temeraria invasione sedem nostram, quantum in ipso fuit, privavit archiepiscopali honore, nosque contempsit, quibus imponi voluit sine catholica electione, non veritus prævenire simoniaca ambitione indutias electionis vestræ, denominata die præordinatas, quas et vestra Ecclesia expetiit et sedis nostræ auctoritas concessit. Igitur in promptu habentes ulcisci omnem inobedientiam, in ipsum et in omnes ipsius sequaces vel eidem communicantes paravimus anathematis sententiam, a qua liberari desideramus fraternitatis vestræ obedientiam. Valet.

(1) Spatium vacuum hic relinquitur in codice, quasi nomen alicujus debeat adscribi.